

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput I.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

formem Sacrae Scripturae, seu moti-
vo credendi. Imo etiam evincam, ean-
dem quoque esse conformem S. S. Pa-
tribus, velut optimis Scripturae expo-
sitoribus, & nostris antesignanis. In
2. objectiones Adversariorum magis
plausibiles luculenter dissolvam.

(***** (*) *****)

PARS PRIMA.

*IN QUA NOSTRA CA-
tholica Sententia probatur.*

CAPUT I.

*NOSTRA SENTENTIA
stabilitur ex destructione fundamen-
ti Adversariorum.*

ADversarij, ut disertissimos S.
Scripturae textus, quos pro no-
strâ assertionem producimus, eludant,
suamque firment opinionem, univer-
salem quandam regulam statuunt his
ferè verbis: *Ubi de Sacramentis agi-
tur, ibi hac regula ex perpetuo S. Scri-
ptura usu debet teneri, ut per metony-
miam nomen rei signata imponatur signo,*
As seu,

seu, quo idem est, ut nomen rei signata
ponatur pro signo. Unde in hisce ver-
bis: *Hoc est corpus meum*, Matth. 26.
26. in voce *Corpus*, ipsorum iudicio, est
tropus metonymiæ, qua *Corpus* non
pro Corpore, sed pro signo corporis
ponitur; adeoque illa Christi locutio
est tropica, quæ ad propriam ita revo-
catur: *Hic panis est signum, signaculum,*
seu tessera Corporis mei. sic docet Stu-
ckius f. 13. & 18.

Sed contrà est. I. quia hanc regulam
non observat S. Scriptura agens de
Sacramento Baptismi. Audi ipsam:
Nunquid aquam quis prohibere potest,
ut baptizentur hi? Act. 10. 47. *Ecce*
aqua, quid prohibet, me baptizari? Act.
8. 36. *Descenderunt uterque in aquam*
Philippus & Eunnuchus, & baptizavit
eum. Act. 8. 38. *Baptizantes eos in no-*
mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Matt. 28. 19. *Unus Dominus, una fides,*
unum baptisma. Eph. 4. 5. En, his inlo-
cis S. Scriptura non utitur verbis tro-
piceis: nam ex unâ parte aquam non
ponit pro signo aquæ, sed pro verâ &
reali aquâ; ex aliâ parte nec aquæ,
nec

nec ablutioni, nec ipsi baptismo imponit nomen rei signatæ, sed singulis sua propria relinquit vocabula. Signanter verò velim notari illa præcitata verba: *Ecce aqua*, Act. 8. 36. quæ videntur æquivalere istis: *Hæc est aqua*. Quod si ista non sint tropica, cur dicamus esse tropica hæc: *Hoc est corpus meum*, seu *Ecce corpus meum*?

2. contrà est, quia nullus in totâ S. Scripturâ extat locus, qui certam ac definitam loquendi rationem de Sacramentis præscribat. Unde patet, præfatam regulam à S. Scripturâ nec doceri, nec usurpari.

Obijcit 1. Stuckius hisce verbis: Pulcherrima sunt Augustini verba, ad Bonifac. Epist. 23. ex quibus Sacramenti & rerum ipsarum similitudo, & orta inde nominum permutatio, perspicuè innotescit. *Si Sacramenta*, inquit, *similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Hinc constat omninò, cur panis corpus

Christi

A 6

Christi, & calix novum testamentum dicatur. Sacramenta quippe ipsarum rerum nomina accipiunt. ita Stuckius,

Respondeo imprimis ad ista S. Augustini verba: *Sacramenta plerumque ipsarum rerum nomina accipiunt*, sic distinguendo hoc effatum: si particula *Plerumque* sumatur pro *Fere semper*, nego effatum: si verò sumatur pro *Nonnunquam*, seu *Aliquodies*, concedo. Et meritò negatur, si *Plerumque* sumatur pro *Fere semper*: nam illi refragatur S. Scriptura, ut jam supra vidimus in Sacramento Baptismi: refragatur ipsemet S. Doctor, qui, cum prædicta verba adduxisset, ut ijs probaret, Baptismum posse nuncupari Fidem, eò quòd ille sit Sacramentum fidei, tamen in tot alijs locis agens de Baptismo, istum nunquam appellat Fidem, sed relicto ei suo proprio vocabulo, vocat Baptismum sine ullo tropo. Locus instar omnium sit ille in Enchirid. ad Laurent. c. 43. qui sic habet: *A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo*. Et ille locus in epist.

28. l. E. *Non aliâ de causâ festinatur
& curritur cum infantibus periclitantibus ad baptismum, nisi quia constat, nullum esse aliud remedium. Et ille l. 2. cont. lit. Periliani, c. 24. Baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Christum habet auctorem. Dicjam, ubi in hisce locis illa nominum permutatio, ut Sacramentum accipiat nomen rei signatæ? ubi Fides ponitur pro Baptismo? ubi tropus, ubi metonymia? Si verò particula Plerumque sumatur ibi pro Nonnunquam, Aliquoties, uti eam sumit Quintilianus, teste Frisio & Calepino, ita scribens: Excussa sunt plerumque vitia verberibus: Et ipse Augustinus l. 2. c. 12. de bono perseverantiæ, ita loquens: Parvulus aliquando, antequàm illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat. Plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vitâ non tenuit, ut daretur. Et antiqua vocabularia particulam Plerumque exponunt per Frequenter, Aliquando &c.*
Si,

Si, inquam, particula *Pterunque* sumatur pro *Nonnunquam*, concedo effectum S. Augustini. Jam verò sicut non valet arguere: Parvulus aliquando ante collatum baptismum moritur; ergo & iste & ille parvulus ante Baptismum moritur: ita non sequitur: Sacramenta aliquando accipiunt nomina ipsarum rerum; ergo id etiam fit in istis verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

Quòd verò, ut docet S. Augustinus cit. epist. 23. sæpe ita loquamur, ut quotannis in die Parasceves dicamus: *Hoc die Christus est passus*, non quòd is dies sit ille ipse, quo Christus est passus, sed quòd ille hanc ex revolutione temporis repræsentet, hoc ultro concesserim; nam etiam Romana Ecclesia sæpe ita loquitur in Officio Ecclesiastico, dum v. g. de S. Confessore ita canit: *Hac die latus meruit beatus scendere sedes*; & in solennitate Epiphaniæ ita precatur: *Deus, qui hodiernâ die Unigenitum tuum Gentibus stellâ duce revelasti.* Quos anniversarios dies ac solennitates SS. Augustinus & Leo vocant

cant Sacramenta. Quare licet in eiusmodi solemnitatibus sæpè ita loquamur; iste tamen loquendi modus non est ita frequens & usitatus in Sacramentis strictius sumptis, ut axioma illud universaliter de his etiã adstruatur

Quod verò spectat ad corollarium, quod Stuckius ex allatis S. Augustini verbis contendit eruere, ita loquens: *Hinc constat omninò, cur panis Corpus Christi dicatur; Sacramenta quippe ipsarum rerum nomina accipiunt*: respondeo, Stuckium bis petere principium; supponit enim 1. ceu indubitatum, panem vocari Corpus Christi, quod nos negamus; supponit verò id, dum vult dare rationem, cur panis vocetur Corpus Christi. At sicut prius ostendi debet, v. g. Cain occidisse suum fratrem, quàm reddatur ratio, cur occiderit; ita prius ostendi debet panis vocari Corpus Christi, quàm detur ratio, cur ita vocetur.

2. Supponit ut certum, panem esse Sacramentum Corporis Christi, quod nos quoque negamus; supponit verò id in suo enthymemate, quo prædictam

ratio-

rationem reddit, dicens: *Sacramenta quippe ipsarum rerum nomina accipiunt*: quod enthymema ad hunc formalem reducitur Syllogismus: *Sacramenta accipiunt nomina ipsarum rerum: sed panis est Sacramentum Corporis Christi: ergo panis accipit nomen Corporis Christi, adeoque vocatur, Corpus Christi*. Verum, uti jam dixi, minorem propositionem non admittimus.

Obijcit 2. Amesius: Sacramentalis sententia debet accipi tropicè: ergo

Respondeo cum distinctione: si per sententiam sacramentalem intelligatur propositio, quæ interpretatur & explicat parabolam, allegoriam, visionem, somnium, vel quid simile, tunc concedo, eam debere accipi tropicè: qualis est ista: *Semen est verbum Dei*. Luc. 8. 11. & hæc: *Septem boves sunt septem anni*, Gen. 41. 26. Si verò, per sententiam sacramentalem intelligatur propositio, quæ tractat de Baptismo, Evcharistiâ, vel hujusmodi aliquo, tunc nego, eam esse accipiendam tropicè: qualis est ista: *Ecce aqua, quid me prohibet baptizari*, Act. 8. 36. & hæc

*hæc: Baptizantes eos in nomine Patris
&c. Matth. 28.19. Verum ex istis ni-
hil contra nos sequitur.*

*Instabis cum Amesio: Ista verba:
Hoc est corpus meum, explicant suum
subiectum, æquè ac illa: semen est ver-
bum Dei: sed hæc accipiuntur tropicè,
etiam à Bellarmino: ergo & illa.*

*Respondeo, negando maiorem:
nam ista verba: Hoc est corpus meum,
explicant suum subiectum ceu id,
quod pronomine demonstratur: illa
verò: Semen est verbum Dei, explicant
suum subiectum ut parabolam seu
partem parabolæ. Unde posteriora
verba sumuntur tropicè, priora ne-
quaquam.*

*Collige ex dictis, contra Adversa-
rios retorquendum esse argumentum
hoc pacto: Eo modo debent intelli-
gi verba, quæ S. Scriptura tribuit
Evcharistiæ, quo modo intelliguntur
verba, quæ S. Scriptura passim tribuit
Baptismo: sed verba, quæ S. Scriptura
passim tribuit Baptismo, intelligun-
tur in sensu proprio: ergo etiam illa
verba, quæ S. Scriptura tribuit Ev-
cha-*

charistia, debent intelligi in sensu proprio.

CAPUT II.

NOSTRA ASSERTIO PRO-
batur ex claritate Verborum:
Hoc est corpus meum.

NOtandum I. Verba plana, & quæ sensum habent obvium, debent in suâ proprietate relinqui, nec ad sensum improprium detorqueri, nisi sufficienti & manifesto indicio cõurgeamur. Patet hoc, quia tropus est verbi vel sermonis à propriâ & nativâ significatione ad impropriam & alienam migratio: sed quælibet vox & oratio præsumitur manere in suâ nativâ & propriâ significatione, nisi ipsa prodatur aliquo indicio in alienam migrasse; affirmanti enim incumbit probatio: ergo nisi aliquid transmigrationem manifestet, lectoremque de impropriate quasi admoneat, tropus non est pro arbitrio invehendus.

Explicatur à simili: sicut enim plana, trita, & directa via seipsa movet viatorem